



PRÆFATIO.
LECTORI BENE-
VOLO
Salutem.

AM tandem, Lector Bene-
vole, quod pridem & ego volui,
& bibliopola noster promisit,
Commentarium quendam in Ho-
seam primum inter prophetas, quos vocant,
minores postremum edo, sed, ut arbitror, satis
oportune, non modo, quod & mores nostrorum
hominum hodierni cum moribus Israelitarum,
proh dolor, exacte congruunt, & pœnæ eadem,
quæ hic denunciantur, nos etiam in inferiori
Saxoniâ nunc partim premunt, partim immi-
nent, nullaquæ alia nunc restat, quam quæ in hoc
libro passim inculcatur, nimirum per veram
pœnitentiam ex tantis malis se emergendi ra-
tio: sed etiam, quia nomen ipsum prophetae